



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

Vtrum adoratio importet actum interiorem, vel exteriorem? 2

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

Deum aut sciuit, aut putauit, aut finxit? Secundum reuerentiam ergo, quæ creaturæ excellenti debetur, Nathan adorauit Dauid. Secundum autem reuerentiam quæ debetur Deo, Mardocheus noluit adorare Aman, timens ne honorem Dei transferret ad hominem, vt dicitur Hester 13. Et fimiliter secundum reuerentiam debitam creaturæ excellenti, Abraham adorauit Angelos, & etiam Iosue, vt legitur Iosue 5. quamuis possit intelligi, quod adorauerint adoratione latriæ Deum, qui in persona Angeli apparebat & loquebatur. Secundum autem reuerentia quæ debetur Deo, prohibitus est Ioannes Angelum adorare, Apoc. vlt. Tum ad ostendendum dignitatem hominis, quam adeptus est per Christum, vt Angelis æquetur: vnde ibi subditur, Conseruus tuus sum, & fratrum tuorum. Tum etiam ad excludendum idololatriæ occasionem: vnde subditur, Deum adora.

Ad secundum dicendum, quod sub maiestate diuina intelligitur omnis Dei excellentia, ad quam pertinet, quod in ipso sicut in summo bono, beatificamur.

Ad tertium dicendum, quod quia vna est excellentia trium personarum, vnus honor & reuerentia eis debetur, & per consequens vna adoratio. In cuius figuram cum legitur de Abraham Genes. 18. quod tres viri ei apparuerunt: adorans, vnum alloquitur dicens, Domine, si inueni gratiam, &c. Terna autem genuflexio signum est ternarij personarum, non autem diuersitatis adorationum.

ARTIC. II.

Vtrum adoratio importet actum corporalem?

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod adoratio non importet actum corporalem. Dicitur enim Ioan. 4. Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Sed id quod fit in spiritu, non pertinet ad corporalem actum. Ergo adoratio non importat corporalem actum.

¶ 2. Præterea, Nomen adorationis ab oratione sumitur.

456
Sup. q. 81
a. 7. Et 3
d. 9. q. 1.
a. 1. et 3.
contra 6.
119.

mitur. Sed oratio principaliter consistit in interiori actu: secundum illud 1. ad Corin. 14. Orabo spiritu, orabo & mente. Ergo adoratio maximè importat spirituales actum.

¶ 3 Præterea, Corporales actus ad sensibilem cognitionem pertinent. Deum autem non attingimus sensu corporis, sed mentis. Ergo adoratio non importat corporalem actum.

SED contra est, quòd super illud Exod. 20. Non adorabis ea, neque coles, dicit glos.* Nec affectu colas, nec specie adores.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut Damasc. dicit in 4. lib. * Quia ex duplici natura compositi sumus, intellectualem scilicet & sensibili, duplicem adorationem Deo offerimus: scilicet spiritualem, quæ consistit in interiori mentis deuotione: & corporalem, quæ consistit in exteriori corporis humiliatione. Et quia in omnibus actibus latriæ, id quod est exterius, refertur ad id quod est interius, sicut ad principalis: idè ipsa exterior adoratio fit propter interiorem: ut videlicet per signa humilitatis quæ corporaliter exhibemus, excitetur noster affectus ad subiiciendum se Deo: quia connaturale est nobis, ut per sensibilia ad intelligibilia procedamus.

Ad primum ergo dicendum, quòd etiam adoratio corporalis in spiritu fit, in quantum ex spiritali deuotione procedit, & ad eam ordinatur.

Ad secundum dicendum, quòd sicut oratio primordialiter est quidè in mente, secundario autem verbis exprimitur, ut supra dictum est: ita etiã adoratio principaliter quidè in interiori Dei reuerentia consistit, secundario autè in quibusdã corporalibus humilitatis signis: sicut genua flectimus, nostrã infirmitatem designantes in comparatione ad Deum: prosternimus autem nos, quasi profitentes nos nihil esse ex nobis.

Ad tertium dicendum, quòd etsi per sensum Deum attingere non possimus, per sensibilia tamen signa mens nostra prouocatur ut tendat in Deum.

*glos. ord.
ibid.*

*li. 4. or.
fd. 7. pri.
cip. c. 13.*

*q. 84. ar.
12.*